

- 839 & ampla munera Venetias missa. Non desunt, qui scribant (nam nihil ferme est in quo auctores quos sequimur, non aliquid variant) post cladem illam in Crotoniate sinu acceptam (de qua mox dicetur) Veronenses Venetorum auxiliis adju-
tos: quod vix impetrari potuisse crediderim. Nullus enim populus vel longe bellicosissimus, in tanta clade, quanta per id tempus accepta est, non animum remisisset. In hoc statu erant res Venetæ magis omnino domi & circa continentem, quam foris lætæ, quum Theodosius Constantinopolitanus, qui a Michaelē Græciæ Imperatore classi adversus Mauros Sarracenos præfectus fuerat, Venetias venit: ubi cum Tradonico egit, ut validam in Barbaros, qui tum Apuliæ fines infestabant, Veneti classem compararent. Id in Michaelis gratiam benigne concessum, sexagintaque triremes in Mauros instructæ: atque ob id Tradonicus a Theodosio *Protospatarius* est Michaelis nomine declaratus: qui honor tum primarius erat apud Græciæ Imperatores. Sabbas (nam non ab re fuerit de ejus gentis expeditionibus aliqua breviter referre) Maurorum Dux (ex Mauritania enim ferunt Barbarorum vim illam ingentem ea tempestate erupisse) sub primum in Italiam appulsum, portum in Tyrrheno littore oppressit, quem Urbis nunc Veteris appellant. Non desunt qui Centumcellensem vocent, ab oppido quod proximo loco Hadrianus Imperator opere & judiciis, ut Plinii epistolæ testantur, instruxit. Auderem ego affirmare, Pyrgos veteres hos fuisse: quod & recens nomen Urbis quam Veterem dicunt, arguere videtur: Pyrgensemque portum appellarem, nisi haud procul inde Ostiam versus navigantibus occurreret locus, quem nunc quoque vicini accolæ Pyrgum nominant. Hic copiis in terram expositis, præsidioque ad classem tuendam relicto, infesto agmine Sabbas Romam ducit: moxque Vaticano oppresso, ac celeberrimo orbis templo, quod Apostolorum Principi est sacrum, spoliato, urbem obsidere pergit: verum audito Guidonis adventu, quem ex Gallia Cisalpina Gregorius quartus ad præsidium urbis exciverat, soluta repente obsidione, inter Appiam & Latinam viam ducens, suburbana loca igni ferroque populatur: nec Divi Pauli magnificen-

840
*Validissima
in Sarrace-
nos Mauros
classis in-
structa.*

*Maurorum
gesta in Ita-
lia.*